



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Perfectionibus Moribusque Divinis Libri XIV

Lessius, Leonardus

Antverpiae, 1620

Liber II. De Immensitate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46817)

DE  
PERFECTIONIBVS  
MORIBVSQVE  
DIVINIS  
LIBER SECVNDVS,  
DE IMMENSITATE DEI.

CAPVT PRIMVM.

*Deum esse immensum.*

*Quid sit im-*  
*mensitas.*



INFINITATEM essentia diuinæ sequitur *Immen-*  
*sitas*, quæ nihil est aliud, quàm vbique & absque ter-  
mino sui in omnem dimensionem diffusio, non per  
partes, sed, vt ita dixerim, per totalitates, quod infi-  
nuat Cyprianus lib. Quod idola dij non sint, cum  
ait: *Deus vnus est, & vbique totus diffusus.* *Vbique*, id est, per totum  
mundum, & extra mundum per immensum vacuum, vt cap. 9. of-  
tendetur. *In omnem dimensionem*, in longum, latum, profundum,  
fursum, deorsum, & in obliquum. Secundum nostrum modum  
apprehendendi loquor. *Non per partes*, si enim daretur corpus im-  
mensum, id quidem esset vbique, & omnia occuparet loca imagi-  
nabilia, sed non esset in singulis locis totum, sed solum per suas  
partes; in paruis quidem secundum paruas, in magnis secundum  
magnas, in indiuisibilibus solum secundum quid sui indiuisibile.  
At non sic Deus vbique est, sed per se totum; ita vt in omnibus  
punctis

punctis spatij indiuiduis totam essentiam, potentiam, bonitatem, sapientiam, & omnem perfectionem omnesque suas opes & gaudia habeat: ita ut non sit maior, aut potentior, aut beator, aut liberior in spatio immenso, quam in puncto indiuisibili. *Diffusionem* intellige, non per aliquam ex arcto & contracto in amplum expansionem, sed per indiuisibilem & continuam presentiam, qua omnibus locis, spatijs, & rebus est intimè presens: quæ continuata presentia non nisi per modum diffusionis cuiusdam à nobis exprimi vel concipi potest.

- 2 Porro hæc immensitas apertè nobis traditur in Scripturis, Psalmo 144. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.* quibus verbis significatur non solum immensitas extensionis, sed etiam infinitudo essentiae. nam de magnitudine essentiae, sublimitatis & maiestatis loquitur. Et Psal. 138. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in caelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris; etenim illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* ubi ostendit Propheta, nusquam posse constitui creaturam, ubi iam non sit Deus; idque confirmat, quia ipsa ubique debet ab ipso teneri & conseruari in esse. Iob 11. *Excelsus caelo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terra mensura eius, & latior mari.* Hic apertè insinuat, Deum excedere omnem mensuram, & expandi in immensum, cum superet ea quæ mens concipit ut maxima. 2. Paralipom. 6. *Si caelum & caeli caelorum non te capiunt, quantò magis domus ista quam aedificauit (non te capit.)* Ieremiae 23. *Numquid non caelum & terram ego impleo, dicit Dominus?* & Apostolus ad Ephes. 4. *Vnus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Baruch 3. *O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius? magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* quasi dicat: Cum ipse immensus sit, domus quoque eius immensa esse debet. *Quare ipse sibi ante omnia erat & mundus, & locus, & omnia;* ut quodam loco rectè dixit Tertullianus. Eadem immensitas significatur Isaia 66. *Caelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Si caelum sedes Deo, extat ergo toto, ut ita dicam, pectore supra caelum. Hunc locum pulchrè prosequitur Petrus Damianus Epistola 4. cap. 6. Eadem immensitas videtur insinuari ab Apostolo cap. 3. ad Ephesios, cum ait: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profunditas.*

Traditur in  
S. Scriptura.

Lib. contra  
Praxeam  
cap. i.

*fundum*. sic locum istum exponit Ambrosij Commentarius. Nos enim Dei immensitatem, nisi per dimensiones illas concipere non possumus. Simili modo exprimitur Job 11. & Psal. 138. vt videre est in locis iam allatis, ad quæ loca videtur Apostolus respexisse. Maximi refert ad perfectionem vitæ, & in primis ad reuerentiam tantæ maiestatis, & ad internam cum illâ coniunctionem & consuetudinem (vt quæ nobis sit intimè præsens, & coniunctissima) magnitudinem & immensitatem eius firmiter animo concipere, & veluti ante oculos positam habere. Idcirco Apostolus optat vt Ephesij eam cum omnibus Sanctis & viris perfectis animo comprehensam teneant. Possunt tamen etiam esse alij illius loci sensus, inter quos mihi maximè placet iste: vt *longitudo* sit Dei longanimitas & patientia, qua tot sæculis sustinuit peccatores expectans eos ad pœnitentiam: *latitudo* sit eius charitas, qua omnes gentes, etiam inimicos, complectitur: *sublimitas*, gloriæ celsitudo, quam diligentibus se præparauit: *profundum*, damnatio & miseriarum abyssi impiis præparata.

Eandem veritatem tradunt passim SS. PP. Dionysius De diuin. nom. cap. 9. Μέγας μὲν ἐστὶν ὁ Θεὸς ἀνομήλιστα, καὶ τὸ ἰδίως εἶπετ' ἄνευ τῶν πάντων τοῖς μεγάλαις ἐαυτοῦ μεταδιδόν, ἔπειτα τοῖς μεγάλαις ἐξώθητο ἡσυχασμόν, ἔπειτα πνευματικόν, πάντα τοποθετήσας, πάντα ἀπὸ τοῦ ἑαυτοῦ ἀποστασάμενος. Magni appellatur Deus, secundum sibi propriam magnitudinē, quæ magnis omnibus de se comunicat, & omni magnitudini extrinsecus superfunditur, & supra expanditur, omnem complectens locū, omnem excedens numerū, omnem transiliens infinitatem.

Explicatur  
locus Diony-  
sij.

Cur Deus  
dicatur ma-  
gnus.

Hic varias assignat causas cur Deus dicatur magnus. Primò, Quia omnis magnitudinis causa. omnia enim magna, ipsius largitione habent quòd magna sint: at propter quod vnumquodque tale, illud magis. Secundò, Quia non solum magnis omnibus coextenditur, sed etiam extrinsecus sine termino supra-circumfunditur & expanditur, sicut lumen circumfunditur pilæ vitæ ad solen pendenti. Tertio, Quia omnem arbit locum; intellige, non solum verum (id enim etiam cælum extimum, vel eius conuexa superficiei facit) sed etiam imaginarium, quantumuis magnus extra cælum locus cogitur. Quarto, Quia omnem excedit numerum: nam & numeri magni dicuntur. Hanc numerorū magnitudinem, excedit magnitudine potentia, sapientia, bonitatis, & extensionis: plura enim potest, plura nouit, pluribus æquiualeat, pluribus coexistere & coextendi, ac plura intra suam amplitudi-  
nis.

nis suæ admittere potest, quàm numero aliquo, quantumvis magno, possint comprehendi. Quintò, Quia omnem transit in finitatem. Est autem infinitas quintuplex. Primò, In substantiis, quatenus species rerum excurrunt in infinitum, alia aliis sine termino perfectiores, sicut numeri absque termino sunt alij aliis maiores. *Infinitudo quintuplex.* Secundò, In magnitudine. Tertio, In duratione. Quarto, In numeris. Quintò, In qualitatibus, & in perfectione intensua. Hanc omnem infinitatem Deus sua magnitudine transit, sese illi veluti coextendens & superextendens, eamque intra se complectens, & totam ambiens: complectitur enim in se, & superat omnem dimensionem, omnem aeternitatem, omnem multitudinem, omnem perfectionem intensuam imaginabilem; & omnes rerum species sub multis generibus substantiarum & qualitatium in infinitum excurrentes. S. Athanasius in Symbolo vsu Ecclesiae approbato, *immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus*, addit non tamen tres immensi, sed unus immensus, nimirum quia vna est & eadem trium personarum immensitas.

Athenagoras Oratione pro Christianis: *Deus est ingenitus, & omnia quae ipsius sunt: mundum vero ita excedit ut impleat undeque quicquid supra ipsum est, nec locum ullum se vacuum relinquat.*

S. Gregorius lib. 2. Mor. cap. 12. *Ipsè manet intra omnia & extra omnia, ipse supra omnia, & infra omnia. superior per potentiam, inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem, sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interior penetrans, nec alia parte superior, alia inferior, aut alia parte exterior, alia interior: sed unus & idem, rotus ubique presidendo sustinens, & sustinendo presidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans. Pulcherrime & verissime.*

S. Isidorus lib. 1. De sum. bono c. 2. *Immensitas diuinae magnitudinis ita est, ut intelligamus eum intra omnia, sed non inclusum, extra omnia, sed non exclusum: & idè interior, ut omnia contineat, idè exterior, ut incircumscripita magnitudinis suae maiestate omnia concludat. Per id ergo quod est exterior, ostenditur esse creator; per id quod interior, gubernare omnia demonstratur. Omitto alios.*

7 Idem ratione conuinci potest. Primò, Si enim non esset immensus, posset eo aliquid maius cogitari, id est, aliquid potentius, magisque in omnem partem expansum & diffusum. Secundò, Posset aliquid esse extra Deum: sicut si mundus haberet animam, posset aliquid esse extra animam mundi, quod ab ea non foueretur aut

*Probatur  
ratione.*

conseruaretur. Tertio, Si non esset immensus, deberet poni commensurus mundo; quia nulla conuenientior mensura extensionis ei tribui potest: sicut anima est commensa suo corpori, nimirum quia est tota ubi est aliquid corporis, non ultra, non extra, non citra. Quarto, Poterit moueri loco, & incipere esse in spatio, ubi nunc non est; sicut mundus potest loco moueri per immensum inane ad quoduis punctum, quantumuis distans à superficie conuexa cæli; & deserere locum, ubi nunc est. *Locum* uoco non quantitatem, sed designationem & situm, à quo res dicitur esse hic, ibi, illic, isthic, qualis est etiam extra cælum, & ubicumque aliquid creari potest. At hæc omnia quam sint incongrua Diuinitati, satis constat tum ex Scripturis allatis, tum ex ipsa Diuinitatis notione, quam omnes ita concipiunt, ut nihil extra illam, quod ab illa non penetraretur & ambiatur, cogitari queat, cum omnia ab illa essentiali dependentiam habeant; multò magis quam notiones animi ab anima, & forma aquæ impressa, à sigillo imprimente.

Ratio à priori nostro modo concipiendi est, quia cum sit infinitus substantia & entitate, debet etiam esse infinitus quantitate seu extensione: sicut enim quantitas siue extensio sequitur entitatem, ita modus quantitatis, modum entitatis. quare cum entitas sit modi-nescia & infinita, talis etiam erit extensio; ac proinde immensa. Ex hac immensitate prouenit ut Deus dicatur esse ubique, & illocabilis, & incircumscriptus. *Ubique* enim esse dicitur, quia substantialiter præsens est omni loco, omni spatio, & omni omnino rei existenti, ita ut nulla omnino res sit, quantumuis parua vel vilis, intra quam Deus secundum essentiam suam totus non reperiatur præsens: nec ullus possit designari locus vel spatiû, siue intra mundum siue extra, ubi similiter ipse totus totaq; eius substantia præsens non existat. Dicitur *illocabilis*, quia nullo loco vel spatio circumferibi potest. Quantumuis enim magnum spatium cogitetur, non minus est extra illud, quam intra: quam ob causam incircumscriptus, & Græcis ἀπερίγραπτος & ἀπερίορος dicitur. Sic S. Athanasius in rescripto ad Liberium dicit, *Deum esse incomprehensibilem loco.* & Damascenus lib. 1. De fide cap. 16. dicit *Deum esse incircumscriptum, & non esse in loco, sed ipsum sibi esse locum.* quod intellige de loco quo circumferibatur, in tali enim loco non est: alia tamen ratione, nimirum ob præsentiam substantialem, dicitur esse in omni loco.

## CAPVT II.

*Deum ratione sua immensitatis esse etiam extra mundum in immenso spatio.*

10 **E**x supradictis testimoniis & rationibus aperte colligitur, Deum non solum esse in hoc mundo, sed etiam extra mundum per immensa spatia diffusum; sicut lumen quoddam non solum totum occupans mundum, sed extrorsum in omnem partem se absque termino extendens. Sicut enim coexistit non solum durationi huius mundi, sed etiam infinitae durationi, quae hunc mundum antecessit; ita etiam coextenditur non solum spatii huius mundi, sed etiam immensis interuallis quae sunt extra mundum, nimirum simul & semel omnia locorum & temporum interualla occupans & adaequans. Vnde sicut ante mundum nullum potest signari momentum, quantumuis a principio mundi distans, in quo non sit Deus: ita extra mundum, nullum potest fingi animo punctum, quantumuis a mundo remotum & disiunctum, ubi plenissime cum tota sua maiestate, potentia, & gloria non sit Deus.

*Deum esse in spatii extra calum immensum.*

11 Porro talia puncta signari posse absque falsitate, non videtur dubitandum. Posset enim Deus a parte caeli conuexa extrorsum extendere funem ad quamuis distantiam; verbi gratia ad 1000. leucas, & ad illud punctum mouere hunc mundum; vel ibi creare aliquam creaturam, vel alium mundum, qui distet ab hoc mundo 1000. leucis. Idem dicendum de quauis alia distantia. Ergo ibi re vera est. Vbi enim potest operari, ibi natura prius oportet esse praesentem. Sicut enim operari supponit esse, ita operari hic, supponit esse hic: nisi fingamus e longinquo virtutem emittere, & per medium diffundere, sicut sol calefacit inferiora; quod est absurdum de Deo imaginari. Oritur enim iste modus operandi ex eo quod causa sit limitata, nec possit per se adesse. Vnde proxime aliquid producit per quod veluti per quamdam manum & virtutem a se diffusam, usque ad effectum continuetur, & se extendat. Vnde quod longius procedit, eo hic modus operandi est imbecillior. Denique nullum ibi est subiectum in quo virtus diffusa recipiatur, neque probari potest, aliquid agere posse in distans, nisi agat etiam in medium, producendo in illud aliquid subserviens actioni distanti. Confirmatur, quia si ibi non esset, posset eo moueri: nam mundus

*Posse signari spatii extra puncta distantia extra calum.*

us eò moueri potest, & sic Deus acquireret nouum situm, nouum ubi quod est contra ipsius immutabilitatem.

Quomodo  
ibi sint sp  
tia.

Dices, Quomodo est in spatiis illis extraælum, cum ibi nulla sint spatia, nisi fictitia & imaginaria? Respondeo, Negando, non esse 12  
ibi vlla vera interualla aut spatia. Sicut enim si aer esset diffusus in immensum, vel lumen per se subsistens esse immensum, verissima ibi essent spatia: ita si spiritus aliquis sit in immensum diffusus extra mundum in omnem partem, erunt vera & realia spatia, non corporalia, sed spiritalia, etsi inter se non realiter distincta, quia spiritus non diffunditur per partes, sed per suas, vt ita dicam, totalitates. quare cum Deus sit immensus & in immensum diffusus, etiam non sint ibi vlla interualla creata aut corporalia, sunt tamen increata & spiritalia (quibus tamen corporalia possunt coextendi)

Immensitas  
diuina pri  
mumum spa  
tium.

quæ non nisi ratione ab immensitate Dei distinguuntur. Ipsa enim immensitas diuinæ substantiæ & sibi & mundo sufficiens est spatium & interuallum capax omnis naturæ creabilis tam corporalis quàm spiritalis. Sicut enim essentia diuina est primæua essentia, origo & fundamentum omnis essentiæ & entis conceptibilis, ita immensitas diuina est primum & intimum interuallum seu spatium, origo omnis interualli, & spatium omnium spatorum, locus omnium locorum, sedes & basis primordialis omnis loci & spatij. Indicat hoc Arnobius l. 1. aduersus Gentes, cum ait: *O maxime, o summe rerum visibilibus & invisibilibus procreator, &c. Prima enim tu causa es, locus rerum ac spatium, fundamentum cunctorum quæcumque sunt, infinitus, ingenitus, immortalis, &c.* Hic aperte dicit Deum esse locum ac spatium rerum. & Dionysius cap. 1. De diuinis nominibus dicit Deum esse *συνεχόμενον ὅρατον καὶ ἄρατον*, id est *custodiam & domicilium omnia conseruans & continens.* & c. 10. dicit, esse *ἐσθλὸν πάντων ἐπιπέδον, & ἄβυσσος πάντων.* id est, *sedem & fundum, in quo omnia firmanur & recumbunt.* Itaque quando dicimus Deum esse extra mundum, per infinita spatia diffusum, aut esse in spatiis imaginariis, non volumus dicere Deum esse in aliqua re fictitia, veluti in chimera, vel esse in aliquo spatio re à se distincto, sed esse in spatio, quod ipsius immensitas formaliter extendit, cui infinitum spatium creatū potest coextendi. Sicut enim mundus non est in aliquo spatio creato, præterquam in sua intrinseca quantitate & extensione: ita Deus non est in aliquo spatio reali, præterquam in eo quod ipsius immensitas constituit, in quo etiam veluti priore & intimo spatio est ipse mundus, & tota eius

ex-



extensio. Quare triplex spatium distingui potest, creatum, increatum, & imaginarium. *Creatum* constat extensione corporali, quali extenditur quaquaversum mundus. *Increatum* est ipsa Dei immensitas. hæc est primum, intimum & fundamentale spatium, cui omne aliud spatium innititur. *Imaginarium* est quod mens nostra non valens aliter concipere Dei immensitatem, imaginatur. Sicut enim non possumus concipere Dei æternitatem, nisi imaginando tempus infinitum, ita nec Dei immensitatem nisi concipiendo spatium infinitum. Quare cum Deus dicitur esse in spatiis imaginariis, nihil aliud significatur, quam illud re vera existere, ubicumque animo spatium aliquod fingi potest.

14. Hæc sententia est verè Deo digna, & omnes tollit difficultates quæ contra illud spatiû obijci solent. Hoc significat Patres dum dicunt, Deum ante mundum aut extra mundum non fuisse, aut esse, nisi in semetipso. Sic Tertull. contra Praxeam c. 5. *Ante omnia erat Deus, solus ipse sibi & mundus, & locus, & omnia.* Minutius Felix in Octavio: *Palam est, parentem omnium Deum nec principium habere nec terminum, qui ante mundum fuerit sibi ipse pro mundo, &c.* S. August. in illud Psal. 122. *Qui habitas in celo, &c. Sed dicit aliquis: Antequam faceret Deus sanctos, ubi habitabat? In se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus.* S. Bernardus lib. 5. De consideratione: *Non est quod quæras ultra ubi erat (nimirum ante mundum:) præter ipsum nihil erat, ergo in seipso erat.* Quæ loca intellige non tantum de existentia obiectiva quæ erat in suo intellectu, sed de existentia naturali in sua immensitate veluti in spatio sibi accommodato.

15. Neque hæc & similia testimonia Patrum repugnant sententiæ eorum, qui dicunt Deum esse in spatiis imaginariis, ut quidam volunt. Non enim mens eorum est, Deum esse ibi tamquam in aliquo reali à se distincto, aut id quod imaginatione sola est, posse realiter continere Deum: sed tantum volunt tali modo loquendi & concipiendi clariùs & distinctiùs explicare immensam Dei diffusionem, quæ se extendit ad omne punctum & spatium, quod mens extra cælum fingere potest. Et sanè mirum est, hanc sententiam impugnari, cum illi ipsi, qui aliter sentire videri volunt, fateantur Deum esse præsentem in omni puncto, quod extra cælum mens potest designare, ne cogantur fateri eum illuc posse moveri. Itaque in re, nulla est hæc dissensio Patrum & antiquorum DD. Scholasticorum, qui docent Deum ibi esse tantum in semetipso; à Caietano, Maiore, Molina, & aliis, qui dicunt illum esse.

esse in spatiis imaginariis, id est ubicumque mens aliquod spatium concipere potest.

## CAPVT III.

*De substantiali & intima presentia, Dei in rebus omnibus: & quis hinc fructus colligendus.*

**R**ATIONE immensitatis fit, vt Diuinitas per suam essentiam omnia peruat, & omnibus rebus sit intima, & intimè præsens ac coniuncta loco seu spatio, iuxta illud: *Cælum & terram ego impleo, dicit Dominus. Si implet, ergo ipse ibi per se præsens est, sicut lumen cælum & aërem suo modo implens, ibi per se intimè præsens est.* Et Actuum 17. *Non longè est ab vnoquoque nostrum: in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus. In ipso, non solum tamquam in causa efficiente, sed etiam tamquam in sede, fundo, & basi nos capiente, sustentante, conseruante & vndique ambiente.* Si enim solum de efficientia vel conseruatione actiua loqueretur Apostolus, non efficaciter probaret, illum non longè esse ab vnoquoque nostrum, nam sol longissimè distans à terra, in ea tamen lumen, calorem, & res innumeras producit & conseruat. Plus ergo voluit, nimirum nos in ipso esse & viuere, sicut in domicilio & fundo firmissimo, vt loquitur Dionysius lib. De diuinis nominibus cap. 1. & 10. Arnobius, & Tertullianus supra. Porro vbi Diuinitas est, ibi etiam sunt tres Personæ cum tota potentia, sapientia, bonitate, maiestate, ceterisque perfectionibus suis. Quæ sanè consideratio mirè excitat animum ad reuerentiam. Addo, Deum cum omnibus suis bonis quadam ratione magis esse præsentem cuique rei, quam ipsa sit præsens sibi ipsi: nam totus est præsens & intimus cuilibet particula & indiuisibili puncto rei: ipsa verò res non est singulis partibus suis præsens tota, nec vna pars est præsens intimè alteri parti, nec vlla pars toti. Vnde etiam anima præsentior est corpori, quam corpus sibi.

Ex quibus perspicuum est, hanc præsentiam esse perfectissimam, adeò vt perfectior nulla fingi possit. Quo fit, vt hæc præsentia multum distinguatur ab illa, qua Deus dicitur esse vbique per potentiam & inspectionem, vulgò per præsentiam. Per potentiam dicitur esse vbique præsens, tum quia vbique dominatur, & iurisdictionem ac imperium obtinet, ita vt de omnibus possit disponere: tum quia ubique

que operatur omnia conseruans & gubernas. Per *inspectionem*, quia omnia in conspectu eius sunt posita: & ipse omnia clarissimè semper & vbique intuetur. Hi duo modi existendi in rebus, per se non postulant intimam presentiam essentia: quia etiamsi per essentiam solum esset presentis in celo, tamen concipi posset esse vbique per potentiam & inspectionem. Itaque hæc presentia, quæ illi conuenit ratione immensitatis, est longè perfectior, cum requirat intimam essentia coniunctionem, & indistantiam. Adde, hanc presentiam talem esse, vt per eam Deus necessariò sit futurus omnibus rebus substantialiter & intimè presentis, etiamsi fingatur ipse non esse rerum auctor, & illæ ab alio principio ponantur productæ: quia ipse omne spatium imaginabile necessariò occupat, siue ut res aliqua creata, siue non.

18 Hoc tamen diligenter considerandum est, etiamsi Deus omnibus rebus sit intimè presentis, easque suo substantifico influxu tangat & conseruet, ab illis tamen non posse tangi, ac proinde nec inquinari, sicut anima à corpore tangitur & inquinatur, dum eam incipit informare. Nam ita presentis est loco, seu locali presentia & indistantia, cuiuslibet rei, vt tamen naturæ gradu & celsitudine insitè distet, in seipsum collectus, & firmissimè in sua puritate subsistens, ab omnibus segregatus. Vnde simul & coniunctissimus est & remotissimus, presentissimus & secretissimus, vnitissimus seu collectissimus & diffusissimus. Et quamuis infinitis modis per suos influxus ad creaturas descendat, manet tamen in sua celsitudine & immobili identitate stabiliter fixus, vt S. Dionysius ait.

Lib. De celest. hierarch. cap. 1.

19 Ex his sequitur primò, Possè nos Deum in omnibus rebus intueri, non solum vt in effectu, vestigio, aut imagine, sed etiam vt ibi reipsa latentem, occultatum, & veluti sipario quodam creaturæ naturæ velatum. Sunt enim omnia creata veluti tenuia integumenta, magnum illud arcanum & Sanctum sanctorum velantia. amoue cortinas, & vide quid intus lateat, illud nudum & purum intueri. Loquor de intuitu mentis per contemplationem, cuius homo in hac vita est capax.

Intuendum esse Deum in omnibus.

20 Sequitur secundò, Possè nos omnia intueri in Deo. Omnia enim ab ipso & intimè penetrantur, & profundissimè sustentantur, & exterius diffusissimè circumdantur. Vnde totus mundus ita est in Deo, sicut paruula spongia in vastissimo mari. Mare enim exterius immensa vastitate sua illam amittit & circumfundit, interius intimè penetrat & humectat, & sua vi sustentat. Vel sicuti globulus vi-

Omnia in Deo. Augustinus 1.7. Confess. cap. 5.

E treus

treus in lumine solis: lumen enim interius totum globulum penetrat, & exterius ambit, in immensum se diffundens circumquaque.

*Gaudium de  
eius præsenti-  
a.*

Sequitur tertio, Maximum debere nos concipere gaudium, quod tantum thesaurum intra nos, nimirum in anima nostra, in corde nostro, in omnibus animæ viribus, in omnibus corporis particulis habeamus: nimirum Deum ipsum, Patrem, Filium, Spiritum sanctum, cum tota potentia, sapientia, bonitate, omnibusque perfectionibus & diuitiis suis: præsertim cum & bonorum ipsius sumus capaces, & ipse propensissima voluntate in nos ea cupiat diffundere, si nos ad excipiendum præbeamus idoneos. Cum enim ita nobis sit intimus, facile potest nos perficere. sinat tantum sua dona in nos emittit, statim implebitur splendoribus anima nostra, & vita æterna in nos dimanabit: sicut si anima nostra esset omnipotens, nihil esset proclivius quàm ut corpus nostrum statim perfectum & gloriosum euaderet. Quis ista perpendens, gaudio non exulteret, omnino errore depulso? Adhuc enim modicum, & immensum illud bonorum pelagus in animas nostras exundabit, easque dulcedinis suæ, & omnium gaudiorum suorum participes faciet: si tamen nos dignè ad hoc comparauerimus, contemptis transitoriis ad æterna suspirantes. Orietur etiam ex eadem consideratione ingens in periculis omnibus fiducia. Si enim Deus non solum intra nos est, intimè nos penetrans & sustentans, sed etiam undique exterius circumdat & ambit, quis poterit nobis nocere, nisi ipse id peculiariter permittat? Quod si permiserit, certè de manu ipsius patienter & libenter debemus accipere, qui facit ut diligentibus ipsum omnia cooperentur in bonum; qui si quid aduersi permittit, boni nostri causa permittit.

*F. lucia.*

*In præsentia  
eius versan-  
dum.*

Sequitur quarto, Debere nos semper tamquam in præsentia Dei, cum magna reuerentia versari. Est enim nobis præsentissimus, omnes nostras cogitationes intuens, omnes affectus peruidens, omnium corda & renes perscrutans, & expeditam habens omnipotentiam suam ad nos æternæ pœnæ subito mactandos, si eum ausi fuerimus offendere. Sicut enim intolerabilis est testacritatis, in præsentia Principis pro tribunali sedentis, & pœnam mortis minitantis, violare eius legem; ita multò magis intolerabile est, in præsentia Dei æternam mortem intentantis, & valentis statim inferre, audere eius præcepta contemnere: quod facit omnis qui peccat mortifere. Vnde qui attentè hanc Dei præsentiam considerat, eamque semper ob oculos habet, numquam audebit illum offendere: sed assidue ad eius amorem & timorem excitabitur. Magnum itaque hac

hac in re ponendum studium, magnaq; exercitatio, vt Deum semper nobis presentem, omniaque nostra intuentem statuamus.

- 23 Sequitur quintò, Reuocandas esse cogitationes nostras, quas extrorsum per creaturas dispersas habemus, easque ad nos ipsos conuertendas, deinde in fundum animi descendendum, ibidem hoc immensum arcanum reperturi. Quorsum enim per creaturas extra nos palabundi quærimus, quod intra nos in Deo multò felicius & vberius obtinere possumus?

## CAPVT IV.

*Recollectio precatória, de immensitate.*

- 24 **M**AGNVS es, Domine, & laudabilis valdè, & magnitudinis tuæ non est finis, excelsior cælo, latior mari, profundior abyssis, implens omnia, circumdans omnia, & tamquam spheram modicam totum hoc vniuersum palmo circumplectens. Tu spheræ incomprehensibilis, cuius centrum vbique, ambitus & circumferentia nusquam, vt quidam Philosophus rectè dixit, si sano sensu intellexit.

- 25 Omnia locorum spatia occupas intra & extra mundum, fundamentum ipse, sedes & spatium omnis spatij, extendens & substituens primò, omnium spatiorum & interuallorum tam possibiliù quàm realium immensitatem, tamquam prima omnium basis, cui omnia innixa. Neque enim cælum dumtaxat extendis, & huius mundi capacissimã vastitatem: sed miro quodam modo etiam hoc ipsum spatium in quo mundum ipsum condidisti, expandis, non alio sanè interuallo quàm magnitudinis tuæ. Hæc est prima & fundamentalis capacitas, spatiositas, seu laxitas, in qua omne aliud spatium consistere debet, & cuius ratione immensum spatium creata menti est imaginabile: sicut æternitas tua est prima & originalis duratio, omnis durationis conceptibilis fundamentum.

- 26 Neque solum in immensum diffusus, interuallum subtendis & extendis immensum, sed etiam in omnibus & singulis huius vniuersi rebus & locis, in omnibus punctis designabilibus totus es collectus, totus cõpletus, totus præsens, totus interior, cum vniuersa potentia, sapientia, bonitate, ceterisque perfectionibus tuis, & cum omnibus donis & opibus tuis, quibus creaturam tuam beare & ornare potes. Lates intra singula totus, assiduè omnia creans, formans, conseruans &

tenens intrinsicè in luce ipsius esse, ne in suas tenebras & in nihilum relabantur; & ad te conuertens per instinctum boni.

Conuerte, obsecro, cor meum ad te introrsum in fundum animæ meæ, vbi silente crescentiarum strepitu, & importunarum cogitationum cessante tumultu, tecum commorer, te semper præsentem cernam, te amem & venerer, & vocem tuam audiam, tibi miseras exilij mei exponam, & solatium apud te inueniã. Numquam præsentia tuæ me capiat obliuio, lux mea, dulcedo animæ meæ: numquam obliuiscar tui, sed semper quocumque me conuertero, mentis meæ oculis obuiferis. Totus enim vbique præsens es, & radios præsentia tuæ diffundis per singula. Sicut enim inuisibilis anima in hominibus se foris aperit per motus & operationes, quæ exterius parent in corpore, sic vt ipsius præsentiam clarè cognoscamus: ita tu, qui omnium es vita superuitalis, & omnium esse superessentiale, te satis manifestè prodis per ipsam creaturarum speciem, in qua elucet admirabilis sapientia & potentia tua. Quid enim aliud est omnis creatura, quàm impressio quædam & imitatio æternorum conceptuum mentis tuæ? Tu enim sigillum primæuum & vniuersale, creatura verò veluti *ἄπο φεγγῆος* seu forma ex impressione sigilli resultans, non in solida aliqua materia, quæ detracto sigillo valeat speciem retinere, sed quasi in fluxa & euanida, in nihilo. Vnde ne ad momentum quidem constare potest, si sigillum abfit, sed assidua præsentia & impressione est opus. Agnoscam igitur præsentiam tuam in omnibus, qui in singulis delitescens, esse & speciem omnibus assiduè suppeditas.

Da mihi præterea, vt comprehendam cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum Diuinitatis tuæ; vt à me totus cogitatione & affectu deficiens, in illud pelagus immergar, ibique perdam me ipsum & creatura omnia, nihil aliud attendens, nihil aliud sentiens, amans, desiderans aut requirens amplius, sed in te solo sequelescens, & omne bonum in te possidens & perfruens. Sicut enim essentia tua infinita est & immensa, ita omne bonum, quod in te est, infinitum pariter & immensum est. Quis adeò auarus est, vt infinitum & immensum bonum ei non satis sit? Nihil ergo extra te quæram aut desiderem, sed tu mihi sis instar omnium, & supra omnia, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.